

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

16 April 1997

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Cassiodorus on his library of sacred authors.

De isdem principiis sanctus quoque Augustinus, disertus atque cautissimus disputator, duodecim volumina conscripsit, quae doctrinarum paene omnium decore vestivit. haec itaque vocavit de Genesi ad litteram; qui quamvis de eadem re tractaverit, de qua beatus Basilius et sanctus Ambrosius celeberrima laude fulserunt, tamen, quod post disertos viros difficile contingere solet, opus suum longe in aliam summitatem Domino largiente perduxit. scripsit etiam contra Manichaeum Faustum triginta tres libros, ubi et eius nequissimam pravitatem manifesta ratione convicit, et de libro Genesis iterum mirabiliter disputavit. pari quoque modo duos libros vir praedictus effecit, quibus titulum posuit Contra inimicum legis et prophetarum, ubi simili modo multa de legis divinae quaestionibus enodavit; contra quos ita fervore pietatis incanduit, ut diligentius atque vivacius adversus eos dixerit quam contra hereses alias disputavit. in libris quoque Confessionum posterioribus tribus voluminibus de Genesis explanatione disseruit, confessus altitudinem rei quam totiens repetita expositione tractavit.

2. Hrotswitha describes the rout of the king's enemies.

Ipsa namque die, quo, decepti vacua spe,
Speravere suis constringendum fore vinculis
Regem, qui merito tenuit regalia sceptrata,
Ex inproviso praeses proruperat Udo,
Adducendo quidem multam secum legionem,
Ac subiit validum forti luctamine bellum;
Nec mora, percussus perit gladiis Evurhardus,
Gisberhtus saevis fugiens quoque mergitur undis.
At rex interea nescit tam fortia bella,
Averso quidni residens in litore Reni,
Nec tunc auxilii scivit solamina tanti
Iam, miserante deo, subito casu sibi missa.
Denique dum pugnae sensit discrimina tantae,
Haut gaudens inimicorum de morte suorum,
Sed plus tantorum maerens de caede virorum,
Sumpsit non modicum, Davidis more, lamentum,
Qui super occisum doluit regem pie Saulum.

3. Jerome: I am not a crank.

Aduersum eos autem, qui me dicunt hoc opus inflammatum inuidiae facibus scribere, breuiter respondebo, numquam me haereticis pepercisse et omni egisse studio ut hostes Ecclesiae mei quoque hostes fierent. Heluidius scripsit contra sanctae Mariae uirginitatem perpetuam. Numquid ut ei responderem, ductus inuidia sum, quem omnino in carne non uidi? Iouinianus, cuius nunc haeresis suscitatur, Romanam fidem me absente turbauit, tam elinguis et sic sermonis putidi ut magis misericordia dignus fuerit quam inuidia. Illi quoque respondi ut potui. Rufinus non uni urbi, sed orbi blasphemias Origenis et De principiis libros, quantum in se fuit, intulit, ita ut Eusebii quoque primum librum Defensionis Origenis sub nomine Pamphili martyris ederet, et, quasi ille parum dixisset, nouum pro eo uolumen euomeret. Num inuidemus ei, quia respondimus, et tanta in illo eloquentiae fuere flumina ut me a scribendi atque dictandi studio deterreret? Palladius seruilis nequitiae eandem haeresim instaurare conatus est et nouam translationis Hebraicae mihi calumniam instruere. Num et illius ingenio nobilitatique inuidemus?

4. Peter the Venerable recommends the archbishop of Lyons to Innocent III.

Apostolicae majestati vestrae humilitas mea saepe scribens, et saepe rescribens, auribus vestris totius mundi audiendis vocibus occupatis, procax aut nimia esse formidat. Sed solet paterna pietas non solum verbosantem sed aliquando etiam delinquentem filium tolerare. Quem interdum ut corrigat, pro excessibus verberans, non potest tamen ipsa inter verbera non amare. Inde, sumpta audacia, pro domno Lugdunensi archidiacono paternam benignitatem filialis praesumptio rogat, licet quantum ad ipsum nulla petitionis praesumptio, sed justa videatur esse precatio. Meretur hoc, ut seculare loquar, honestas personae ejus, meretur hoc erga sublimitatem vestram obedientia et famulatus ejus, meretur hoc circa vestros sedulitas et devotio ejus. Honestas personae ejus, qui inter Lugdunenses constitutus (non quidem ut Job in terra Hus, sed pro modulo suo, si tamen maximis liceat minima comparare, ut Stephanus diaconus inter condiaconos, ita hic ejusdem nominis archidiaconus inter concanonicos), prudentiae et honestatis vexillum sublimius extulit, et eo tempore, quo apud hujusmodi homines omnia pene corrupta sunt, insigne clericalis ordinis inuolatum servavit.